



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Syntagma Iuris || Vniversi, Atqve Legvm || Pene Omnivm
Gentivm, Et || Rervm Pvblicarvm Præcipvarvm,||**

Grégoire, Pierre

Francofurti ad Mœnum, M.D.XCIX.

VD16 VD16 G 2999

16 de Personis reiectis ab accusando ob status conditionem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-97739](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-97739)

Pinus, & celsa grauiore casu
Decidunt turres, feriuntq; summos
Fulmina montes.

In 7 Militiae erat summa humanitas, tum mira comitas. ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum pateret: magna auctoritas apud omnes ciuitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Haec tamen populus respiciens Atheniensis (quoniam scilicet democratia fouebat) maluit eum innoxium plecti, qua se diutius in timore esse, ut ait Amylius Probus, in vita Multi. & Valerius Maximus, lib. 5. tit. de ingratis. Alcibiades quoque Atheniensis potens & maior quam priuatus existimabatur, multos enim liberalitate deuinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat. Quare sebat, ut omnium oculos, quotiescunque in publicum prodisset, in se conuerteret: neq; ei par quisquam in ciuitate poneretur. Itaque non solum in eum spem habebat proximam, sed etiam timorem, quod & obesse & prodesse plurimum poterat: is tamen postea damnatus capite, restitutus, tursumque & tandem odio habitus. Cui maxime malo fuisse putatum est nimiam opinionem ingenii atq; virtutis: timebatur enim non minus quam diligebatur, ne secunda fortuna magisq; opibus elatus, tyrannidem occupasset. Amylius Probus, in vita Militia. Et ut ait Polybius lib. 1. hystor. praecleara facinora, & res ab aliquo egregie gestite, magnam plerumque inuidiam, & graues calumnias conflare solent. Nec vlla vehementior calumnia, teste Liniio, lib. 10. 4. de ca. quam quae regnandi cupiditate suscipitur. Dicebat Demosthen. orat. de Cor. καλλος, το μηδελαι γεαυλιου ευρειν, ον δι ευδουμωρα, διδεδι τι μηδονο πολλαυς μεν ευρειν, μηδελω ποτε δι εβεληθεις αυτιων, ον ευκαλιουαυτι γυγιου αυθια, τωρο διγλιος, id est, pulcrum illud, nullius sperireum criminis: imo sane etiam fortunatum. Sed qui magis aliquis fuit reus factus, nunquam reus peractus, vituperandus iure propterea fuerit: Cato primus Portiae gentis, optimus vir, senator optimus, Imperator optimus, optimus Orator dictus, tamen multorum odio laborauit: & ideo quater & quadragies causam dixit, nec ququam saepius eo postularus, tamen semper absolutus, ut auctor Plinius, lib. 7. c. 27. Intraque Pontificia praedicant, viros praestantes calumniis multorum expositos ob odium malorum: ideo accusationes in eos facile non admittendas. cap. qualiter & quando, in 2. de accus. Et vocatis in iudicium legatis, in legatione exceptio competet iuris reuocandi domum, hoc est, differendi iudicii, donec domum redierint, & legatione functi sint. l. 2. §. fin. de iudic. in 7. P. §. Lex Memmia etiam eorum, qui reipub. causa abesse, nominata recipi inter reos vetabar. Sueton. in Iul. Caes. c. 23. Recusumq; est iudicium Ca. Dolabellae, quo Philodamum Oponcium damnauerat, tum cum ei legatio Romam a suis ciuibus esset data. Cicero. Verri. 4. Atque indices & magistratus post depositos factes, & abdicacionem magistratum & dignitatum, in provincia & administratione quam rexerant, remanebant per quinquaginta dies, ut pateret tunc priuatis omnibus accusandi copia. l. omni, ut omni iudi. tam ciuili, quam crimin. §. c. Nam placuit magistratus etiam posse reos postulari pendente magistratu, sed differri eorum accusationem interim, cautione sistendi iudicio praebita, vique dum honore functi essent. l. si adulterum, §. fin. ad leg. Jul. de adult. P. l. nec magistratibus, de iniur. in P. l. continet, §. si quod met. cau. in P.

8 Non pigebit tamen adnotasse casus quosdam, in quibus magistratus & maiores dum funguntur dignitate, in iudicio esse possunt: ut si accuset, & res ex delicto contractata tempore pedentem magistratus sit peritura, l. Senatus consulto, de offi. praef. in P. vel actio, d. l. Senatus consulto, §. l. more istis. C. de rei vind. cum similib. Item si in officio delinquant. Limbemus, ad l. Jul. repet. C. Alioquin grassandi daretur facultas, & tribunal fieret in tota, iam spelunca, si asyllum esset malorum. Perinde est, inquit Iamblicus, periculosum, insaniens gladium, ac improbo viro magistratum committere. Ideo & dignitatis honores crimine excluditur, & puniuntur admissum, l. 2. §. 3. ubi Senatus vel clar. C. §. si immen conuigerit, tit. ut differ. iud. aud. interpell. accusa. §. c. in Auth. coll. 9. potissimum hodie in Gallia, quae habet suos magistratus perpetuos. Nec ideo dignitatum abdicacionem exspectemus, nisi ob crimen, mortem, vel eiuracionem. Neque tamen temere aut leuiter in eos admittitur accusatio, sed re perpensa, & grauisimo de crimine. §. Idipsum, §. quod in summis magistratibus, & in praestantissimis viris, qui aliquando fideliter commissam sibi rem publicam gesserunt, statuerendum est, & in illis qui praesunt: scilicet ne temere inferiorum in eos & superiores admittatur accusatio. cap. oues, 6. q. 1. Exstat maiorum exemplum in Metelli causa, qui cum reus repetundarum factus fuisset, & causam diceret, tabulaeque eius ab accusatore expostula-

ta, & ad nomen inspiciendum circa iudicium ferrentur, totum consilium ab eorum contemplatione oculos auertit, ne de aliqua re, quae in his relata esset, videretur dubitasse. Non in tabulis, sed in vita Q. Metelli argumenta sinceram administratae provinciae legenda sibi iudices crediderunt indignum rati integritatem tanti viri, exigua cera & paucis literis perpendi. Valer. Max. lib. 2. c. 5.

De personis reiectis ab accusando ob status conditionem. CAP. 16.

- 1 Frater fratrem de crimine non accusat impune.
- 2 Fraternalis inimicitia perniciosissima.
- 3 Familiaris accusatio non auditur.
- 4 Filius patrem nullo modo accusat, nec matrem.
- 5 Ingratitudinis exheredandi & reuocandi donationem causam accusasse de crimine patrem aut matrem.
- 6 Alumnus patrem nutricium non potest accusare.
- 7 Pater si velit accusat & desert iudicium filium, & eius oblatio minus poenam filio delinquenti.
- Et num. 8.
- 8 Rhaconis erga iustitiam, & filii delictum mirabile exemplum.
- 9 Filii contumaciae poena ex lege diuina.

Sunt quaedam status conditiones, quae reiciunt etiam accusatores, l. qui accusare, de accusat. P. Itaque frater fratrem non accusat de grauiori, & capitali crimine: & si de facto id ausus fuerit, ex filio punitur, l. si magnam, qui accus. non poss. C. de leui accusat, d. l. si magnam, §. l. si sororem. C. eo. Leuia dicuntur, priuata, quae summarie & de plano potest praetor discutere. glo. in l. leuia, de accus. in P. §. Sanctio §. haec humanae societatis & amicitiae fratrum continenda causa videtur indulta. Quae maxima est, ut contra dum in inimicitiam degenerat, odium habet fere implacabile, & domorum & familiarum subruit fundamenta. Exemplo est Pelopidarum familia intestinis odiis atrocissime conuulsa ab Aetreo & Thyeste. Et Oedipodi regia a fratribus Etheocle & Polynice, quorum nec post mortem quiescente discordiam ferunt Callimachus, & Ouidius in Ibin. Et primum homicidium in fratre admissum a Caino legimus, Genes. c. 4. & multa scelera multos fratres filios Iacobi in Iosephum fratrem, quod eos accusasset crimine pessimo, Genes. c. 37. §. Accedit quod sola familiaritas (quae inter alios maior vix est, quam ea quae inter fratres est, qui vna ab ineunte aetate nutriuntur) in hiber, ne familiaris familiarium crimine accuset. Atque lex huiusmodi antequam loquatur, a limine accusationis detrudat, & vocem tam funestam potius amputandam, quam audendam statuit, Acad. & Honor. CC. in l. pen. qui accus. poss. C. excepto crimine maiestatis. Ad speciem proditionis pertinere quoque videtur, eum, quem amicum esse existimaueris, videre accusatorem: atque acerbiora sunt & plus quam hostilia vulnera, quae ab eo, quem tecum vna conuiuium & consocium cogitationum admiseris, inferuntur. Sic David, Psalm. 54. Si inimicus maledixisset mihi, sustinui: sed irig, Et si is qui oderat me super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero vnanimis dux meus & notus meus, qui simul mecum capiebas cibos, in domo Domini ambulauimus cum consensu, &c. Et rursum, Psalm. 40. ita conqueritur, Etenim homo pacis meae, in quo speraui, qui edebat panes meos, magnificauit super me supplantationem.

Intercedit ultra familiaritatem & communem vitam inter patrem & filium pietas, & vinculum quoddam honorandum: quo fit, ne filius patrem accusare possit. d. l. qui accusare, §. fin. de accus. Arbitror & olim Lycophronem Perandri filium ideo relegatum: tanto enim odio patrem est profecutus propter Merisfam matrem, filiam Proclis Epidauriorum tyranni, occisam, ut in Corcyram relegari maluerit, quam vllum reconciliati animi signum ostendere, teste Herodoto, in 3. Cham enim successura ei lobole seruituti adiudicatus, quod patrem ebrietatis apud fratres inuassisset. Genes. c. 9.

Et inter causas ingratitudeis exheredationis legitima illa, §. causas, ut cum de appell. cog. in authen. colla. 8. si filius patrem in criminalibus causis accusauerit, vel per delacionem suam eum fecerit graue dispendium sustinere. Et reuocatur per patrem donatio facta filio rati quam ingrato, si ei aliquid vitae periculum intulerit. l. fin. C. de reuoc. donat. Quod in matre locum, quatenus ad secundas peruenerit nuptias. authen. quod mater, C. eodem. §. Et job officium paternum receptum, non licere alumnus eum, apud quem enutritus instar filii est, accusare, l. iniquum, C. qui accusa. non poss. Cornelius Tacitus, lib. 4. Annal. ut miseriarum



& scintilla exemplum atrox refert sub Tiberio: reus pater Q. Verus Serenus, acculator filius, et si de crimine maiestatis ageretur.

¶ Verum tamen non eadem seruantur in patre erga filium: imo pater si velit, potest accusare filium, vt contumacem, vt insidiantem sibi, si pietas & ratio naturalis animi sui non reuocat intentionem. *l. propter insidias, C. qui accus. non poss.* Extat & Alexandri Cæsaris rescriptum, in *l. 3. de pat. pot. C.* quo pater iure proprio, scilicet potestatis, potest castigare filium, & contumacem offerre præfidi prouinciae, dictur o sententiam, quam ipse pater voluerit. Id ipsum que statuerunt Valerianus & Galienus, *l. congruentius, de patr. pot. C.* Sic Vlpianus, *l. nec quicquam, §. de plano, de offic. proconf. Et leg. in P. De plano, inquit, proconf. expedire debet, vt parentibus & patronis obsequium reddatur: comminari etiam & terrere filium a patre oblatum, qui non ut oportet conuersari dicitur.*

¶ Iudicis autem officium, in istis paternis delationibus est, siue crimen in se commissum deferant, siue in alios, mitius quam rigor iuris postulet, animaduertere: ne pater ad supplicium videatur filium detulisse, & ita carnificis officio functus. *l. milites agrum, 13. §. si. de re mil. alioquin capite puniendus. l. non omnes, §. de fertor, eod. tit. P.* Exemplum celebre iudicii Artaxerxis regis Persarum: cum enim Mardus quidam genere, nomine Rhacones haberet filium contumacem, & monita sapientiae aspernantem Carto mem comprehensum manibus in terga reuinctis ad iudices adduxit, ibique quæcunque vnquam per audaciam deliquisset cum accusatione commemorauit, & a iudicibus postulat, vt ad mortem raperent. At illi consternati animis, suis sententiis condemnare noluerunt, sed vtrumque ad regem Persarum Artaxerxem adduxerunt. Is autem constanter instante patre ad olefcentem presenti culpa liberauit, grauissimam mortem interminatus, si præter antecedentia peccata in posterum simili in crimine deprehensus fuisset. Et Rhaconem, qui tam seueriter & incorrupte de liberis sententiam dixisset, collaudatum, in collegium regiorum iudicum cooptauit, teste *Eliano, lib. 1. de var. histor. c. fin.* Accusauit de crimine Saul filium Ionatham, & morte damnauit, sed eripuit eum populus. *1. Regum.* Sicut & Silenci filium populus a pena adulterii, quam inferri iusserat pater. *Val. Max. lib. 6. ca. 5.*

¶ Lex ÷ diuina tamen iubet relapsum delicta in ipsum patrem commissa seuerius vindicari, cuius hæc verba. *Deut. c. 2. Si genuerit homo filium contumacem & proteruum, qui non audiat patris vel matris imperium, & coercitus obedire contempsit, apprehendat eum & ducat ad seniores ciuitatis illius, & ad portam iudicii, dicentque ad eos: filius iste noster proteruus & contumax est, monita nostra audire contemnit, comesationibus vacat & luxurie atque conuiuio: lapidibus eum obruet populus ciuitatis, & morietur, ut auferatis malum de medio vestri, & vniuersus Israel audiens pertimescat.*

De prohibita libertis patronorum, & seruis dominorum accusatione.

CAP. 17.

1. *Liberti patronos accusare nequeunt. Nec contra patroni libertos.*

Serui accusare dominos non possunt: at de iniuria illorum nimia recte conquerentur. eod.

Maiestatis crimen a seruis & libertis dominis & patronis obici potest. Sed non facile, nec nisi cum aliis concurrentibus. eodem.

Et num. 2.

2. *Seruum dominos accusantium pena.*

¶ Neque ÷ etiam liberti patronos accusare possunt, *l. qui accusare, in fine, de accus. P. l. fin. C. qui accus. non poss.* Libertorum, *C. de testib.* licet tamen eis de eorum nimia scintilla conqueri apud præfectum vrbis: vt & seruis aduersus dominos. *l. 1. §. seruos, & §. quod autem dictum, de offic. præf. vrb. P.* Nec id etiam præses contemnit, nec tam fauore seruorum, quantum dominorum, quorum interest, ne auxilium contra suam scintillam, vel famem, vel intolerabilem iniuriam denegetur iis, qui iuste deprecantur. *l. 2. de iis, qui sunt sui vel alien. iur. P. §. pen. eod. tit. apud Iustin.* Et quamuis sciam libertum posse de crimine læsæ maiestatis patronos impune accusare, & seruos dominos, *l. pen. de iis qui accus. non poss. l. qui cum natu maior, §. si libertus, de bon. liberti.* tamen in aliis certum habeo repudiari: veluti & accusationem de crimine grauem patroni in libertum, imminente alioquin pena patrono vt priuetur hereditate liberti. *d. l. qui cum, l. cum patronum, de iure patronat.*

¶ In ÷ seruis accusationem erga dominos etiam criminis maiestatis raro, & nisi cum aliis probationibus admittendam probato. Landoque iudicium præsum: cum enim Cneus Domitius tribunus plebis M. Scaturum, & L. Crassum Cn. Carbonem accusarent, ad eosque serui reorum venissent, totam multis & grauib. instructuri dominorum criminibus accusationem, non admiserunt iudices, sed vinctos, vt ii pro imperio suo vindicarent, ad dominos remiserunt. *Valer. Max. lib. 6. c. 5.* Et Sylla, crudelissimus alioquin, cum præmii loco seruis, qui scriptos a se occidissent, vel indicassent, libertatem edicto proposuisset: seruum tamen Sulpitii Rufi tribuni pleb. quia dominum detexisset & prodidisset, ipse quidem manumissit, sed præcipitari protinus & saxo Tarpeio cum illo suo pileo sceleris & parricidio parco, voluit, iussit. *Plutarch. in Sylla.* Brutus atque Caii Crassi traheret imperium, potius Patariensibus edixit, vt omnes omnino ciues, quicquid in vrb. auri argentei facti aut infecti possiderent, id ad se in medium adferrent: in eos statuo vltimo supplicio, qui celassent, præmio contra iis, qui detulissent. Porro cum seruus quidam dominum indicasset, inuentaque fuisset apud eum pecunia, seruum constanter dominum accusantem, cum mater domini in se crimen transferebat, laqueo suspendit, & matris pietate motus & filium & matrem absoluit, & pecunia donauit, vt auctor Appia. *Alexand. in 4. bello. ciuili.* Claudius Imperator edixit, ne quis auxilium ferret eis, qui contra dominos vel patronos quid deferrent: qui detulisset, eum ius alios accusandi amissurum. *Dion. Cas. lib. 60. histor.* Atq; primo quinquennio Neronis, nec Carinas Celet Senator, nec Iul. Denus equester, cui fauor in Britannicum crimini dabatur, inter reos, seruis accusantibus recepti sunt. *Cornel. Tac. lib. 13. histo.* Meminit Suidas, in *Casio*, Caium Imperatorem, seruorum dominatum instituisse, lege lata, vt iis dominos accusare liceret, si quod eorum peccatum vidissent: verum inde ignem & calamitatem orbem terrarum oppressisse, cum serui maximis pot. a dominos subicerent. Miserum namq; est, pro cane leonem & viperam domi nutrire, & intra penates, vbi asylum ab iniuriis inimicorum tutissimum est, a propriis seruis, quos fidos putamus, obseruari & inuadi. *l. ad senat. Syllania.*

De aliis qui accusare non possunt.

CAP. 18.

1. *Accusatoribus pluribus existensibus qui potius eligendi.*

Accusare qui possunt remissius. eod.

2. *Accusare non potest qui desinit, qui ve præuicatus est.*

3. *Prætorum Quæstor eius non accusabat.*

Collegam officii nemo accusat iuste. eod.

4. *Accusare non possunt inimici.*

5. *Laici clericos non accusant, nec clerici clericos maioris ordinis quando.*

¶ Et iuncturæ & aliæ personæ ab accusatione, aliis de causis, de quibus videndus Hostiensis in sum. tit. de accusatio. glo. in l. qui accusare, eod. tit. in P. & gl. in c. 1. de accus. Et quando plures etiam se offerunt accusatores idonei, non omnes ad accusationem admittuntur, sed iudex eligere debet eum, qui accuset, causa cogita, æstimate accusatorum personis, vel de dignitate vel ex eo, quod interest, vel etate, vel moribus, vel alia iusta de causa. *P. l. in l. si plures, de accus. P.* In quibus causis serui possunt accusare docet glo. in l. accusare, §. omnibus, in verb. rei. de accusatio. P. ¶ Qui ÷ desinit ab accusatione, amplius etiam agere vel accusare prohibetur, *l. qui desinit, 2. ad S. C. Tertull. P. l. 2. §. 1. ad leg. Jul. de adult. in P. l. accusatione, qui accusa, non poss. licet & qui semel præuicatus fuit. l. accusat. de præuic. in P. ¶ In ÷ controuersia de Tito Albucio reo accusando, inter Caium Iulium, & Cn. Pompeium Strabonem, placuit Pompeium admitti non debere: quia existente Albucio prætoris, ei Pompeius fuisset quæstor: & quæstor suo prætorem parentis loco esse. Neque iustorem vllam aut grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem fortis, quam prouinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem. Ideoque L. Philoni in C. Seruiliam, neque Aurelio Scantio in L. Flaccum nominis deferendi potestas data fuit: ne libido violandæ necessitudinis auctoritate iudicium comprobaretur. hæc Cicero in *Diuinat.**

¶ Proculdubio non accusant inimici, vel inimicorum familia. *4. res. ca. repellat. 7. & ca. meminimus, 13. de accus. cum similib. plurib. inibi per gl. not.*

¶ Neq; clericos accusant laici, *c. c. P. Manonella, c. 10. de accus. §. inu.*